

Ioannis de Socarratis, iurisconsulti cathalani, in tractatum Petri Alberti, canonici barchinonensis, de consuetudinibus Cathaloniae inter dominos et vasallos ac nonnullis aliis, quae Commemorationes Petri Alberti appellantur, doctissima ac locupletissima commentaria nunc primum typis excusa, quibus feudorum materia diligentissime pertractatur, Barcelona, Joan Guardiola, 1551, i Lió, Antoine Vincent, 1551.

Text a cura de Maria Toldrà

[Dedicatòria al príncep Ferran (ed. de Barcelona, Joan Guardiola, 1551, p. 1-4)]

Illustrissimo et potenti principi ac inter reges praeclaro et excelso domino domino Ferdinando, Dei gratia regi Castellae, Legionis et Siciliae ac primogenito Aragonum, Ioannes de Socarratis, in legibus licenciatus, oriundus villae Sancti Ioannis de Abbatissis, dioecesis vicensis, nunc vero civis insignis civitatis Barchinonae. Sciens autem maiestatem vestram fore scientia et sapientia ac virtutibus quamplurimum decoratam iustitiaeque amatricem, desideravi aliquod vobis exhibere et praesentare donum quod clementiae vestrae debeat verisimiliter esse gratum. Et ob hoc, labores pro vestri servitio non metuendo, calamum assumpsi et ad laudem et honorem vestrae excellentiae hoc commentum super iuribus vestri principatus Cathaloniae duxi componendum, in quo glossare intendo Commemorationes Petri Alberti atque consuetudines Cathaloniae, legereque aliquos usaticos Barchinonae, et ibi materias feudales, iuraque bellica atque regaliarum processus, aliaque multa utilia tanquam penitus dignitatem regiam respicientes pertractare ut utrumque tempus, et bellorum et pacis, vestra excellentia valeat gubernare iustitiamque unicuique tribuere. Nam unusquisque qui in domini scientia laborabit facere teneatur ex debito quod mente concepit tanquam sub terra latens producat, inde exhibeat se soli, id est intellectibus sapientium, ut si quidem dixerit vera, Deus laudetur et opus approbetur, si autem peccaverit (quod humanum est), erronea sua opinio teratur, rationibus evertatur et eradicetur. Hoc nostri maiores fecerunt. Nam disputationum et reprehensionum certamen pertinet ad laudem Dei et ad statum mundi, et unusquisque prudens malit potius praecorrigi quam damnabiliter iuvari. Et maxime inter haec desiderantes sum: ego omni die discere non erubesco, famesco, muscas de ore prudentum rumino, irrisores aut fabulatores non timeo, quia deridendum est quod non ratione fundatur (ff. De neg. gest., l. Sed an ultro, § I, ibi dum dicit: sed istam sententiam Celsus eleganter deridet). Confisus ergo de Dei adiutorio, aggredior praesens opus, quod, divino auxilio prosequendo, textus exponendo, notabilia colligendo, opponendo et quaerendo, necnon adiacentes materias pertractando, ad finem usque produciam, multas alias materias ibi addendo et commiscendo, nec tacebo eos a quibus voce / mortua didici (quia honor est in honorante et occultator laudis alienae furi par est, arguit ff. Ad leg. Falci., l. Haereditatem, § fin.), remissiones quas faciam eliciendo, conclusiones, ubi expediet, et dicta aliorum meliorando et magis fundando declarabo, nec aliquid quod sit ponderis dimittam, quando eligam quod mihi videbitur ut aptior sit via aliis intelligendi, supplendi et etiam approbandi. Hoc igitur opus egregiis doctoribus et patronis huius civitatis melius me in his sententibus submitto corrigendum, si quid invenerint minus bene dictum. Et ideo protestor quod nihil dicere intendo assertive seu determinate, nisi quantum ad ea quae manifeste determinata sunt per ius commune et municipale; caetera vero omnia accipiantur tanquam scholastice et per modum exercitii dicta, propter quod omnia dicta in hac lectura suppono correctioni cuiuslicet melius me in his sententibus, pium et charitativum flagitans correctorem.

Et ne videar sub caduco opere aut ambagibus laborare, quaero primo an istae Commemorationes authenticae sint censendae, quoniam Petrus Albertus, qui eas commemoravit, erat canonicus barchinonensis, ut referunt Iacobus de Monteudaico et Iacobus Callicii in *usatico Magnates*, et non habebat auctoritatem legis condendae, quia non praesumitur data nisi probetur (ff. De regu. iuris, l. II, § Placet), quia ea quae sunt auctoritatis publicae debent per publica documenta probari, ut l. I, C. De man. prin., C. De iur. fis., l. Prohibitum, XCVI distinc., c. Nobilissimus. Nec iste Petrus Albertus in aliquo loco asseruit se auctoritatem habuisse, unde eius interpretatio probabilis est et non necessaria, ut notat C. De legi., l. I, quinimo nec probabilis, quia loquitur ut textum faciens et legem ponens, ut C. De sacrosanc. eccl., l. Decernimus. Porro qui dicit has Commemorationes aut Consuetudines esse authenticas debet hoc ratione vel lege probare, nam rubor est sine lege loqui (C. De coll., l. Illam, in aut. De trie. et sem., § Consideremus). Nec dici possit quod istud sit ius consuetudinarium, nam qui consuetudinem allegat, eam probare debet, cum in facto consistat et scientia non praesumitur, praesertim iuri communi contraria, ut extra. De consti., c. I, li. VI, Bartolus in l. De quibus, ff. De legi., et Baldus in l. II, § Quod observari, C. De iur. cal. Nam licet glossa dicat aliquid esse de consuetudine non creditur ei nisi probetur consuetudo, secundum Baldum in l. Consentaneum, C. Quo. et quando, quia ut credatur doctori de consuetudine refert, si est communis opinio doctori creditur, secus forte si unus vel duo illam asserant, secundum Ioannem de Imola in l. I, § Nuntiatio, ff. De no. ope. nun. In contrarium: quia istae Commemorationes sint authenticae, solennes et servandae probatur quia multi doctores illas apostillarunt, inter quos fuerunt Arnaldus de Moraria, Bernardus de Ceva, Raynaldus de Area et alii antiqui et moderni practici, utriusque iuris professores, et in commentis *Usaticorum Barcinonae* [*corregim de: Bartol.*] eas tanquam authenticas allegarunt et ad fundandum dictum eorum illas commemorarunt, inter quos fuerunt Iacobus de Monteudaico, Guillelmus de Vallesicca, Iacobus de Callicio, Iacobus Merquilles et plures alii qui super dictis *Usaticis* scripserunt. Item, in ipsis Commemorationibus sunt multa utilia et quae per dictos *Usaticos* fuerant decreta. Item, dictae Commemorationes ad literam in iudiciis et extra pro authenticis allegantur et reputantur. Ita dicit Iacobus Callicii in *usatico Magnates*, licet in contrarium arguerit in *usatico Hic sunt et in usatico Si a vicecomitibus*, et pro hoc facit quod dicit Baldus in capit. *Pastoralis de fide instrumentorum*, ubi dicit quod si dubitetur de extravaganti et advocati eam allegant, quod praesumitur pro ea. Item, quia in quibusdam constitutionibus per dominos reges allegantur; quae auctoritas igitur potest esse maior quam dominorum regum? certe nulla, ut l. fina., C. De legi. Suntque ipsae Commemorationes in scriptis redactae inter volumina *Usaticorum* et constitutionum, et habentur in libris iurisperitorum et quotidie ex eis iudicatur; et pro hoc facit quod notat Baldus in l. Exemplo, C. De proba., ver. secundus est. Item, non modo fuerunt compilatae per dictum Petrum Albertum, sed etiam multae ex eis per Bertrandum de Ceva et Iacobum Vianyla [sic], qui fuerunt doctores cathalani et multum practici in hac civitate, praesertim in iuribus feudalibus huius patriae, et omnes antiqui, qui et moderni sapientes, fuerunt ipsarum tanquam authenticarum recitatores et nullas abnegantes vel reprobantes. Corroboratur istud auctoritate / *Spec. in titulo De loca. et in titulo De feud.*, et Ioannes de Blano in titulo *De actio. praeiud.*, ubi fere maior pars ipsarum fuerunt positae, prout infra in suis locis declarabitur. Et istam partem in simili tenent Baldus in *Praelu. feu. et Ioannes Andreas et Nicolaus in c. II De feu.*, et per Iacobum in lib. tit. *De condi. ex mori pro re feu.*, quoniam in feudis proceditur de similibus ad similia, secundum Baldum, *De feu. cog.*, et Iacobum Callicii in *usatico Magnates*. Consuetudines enim feudorum ab antiquis usibus fuerunt introductae, ut dicit Baldus, *Qui feu. da.*

possunt, § Hoc autem, et pro hoc usaticus Haec sunt usalia, ibi usibus. Nam ibi sunt multi usatici de materia feudali loquentes, quoniam causae feudales deciduntur consuetudine (De feu. cognitio., ubi Baldus, c. I). Et consequenter concludo in hac quaestione quod dictae Commemorationes sive Consuetudines in foro contentioso causarum sunt servandae.

Secundo quaero: dicitur quod dictae Commemorationes dicuntur consuetudines Cathaloniae, contra quod oppono quod quoties consuetudo transit in legem scriptam perdit nomen consuetudinis et vocatur lex, ut Insti., De iur. natu., § Constat, sed illae consuetudines sunt translatae in scripturam, ergo debent appellari lex scripta. Solutio est duplex. Primo, quod scriptura non intervenit ut ius scriptum per eam fiat, sed ut memoriae commendetur et tanquam notoria consuetudo non indigeat probatione, arguit ff. De pig., l. Contrahitur, et quod notatur C. Sol. matr., l. Dos a patre, et C. De nup., l. I et per Baldum in l. I, C. Ut quae desunt advo. Secundo respondetur quod ubi conficitur scriptura, tunc dicitur ius scriptum quando habet ea quae sunt iuris scripti, puta quia est lex, plebiscitum, senatusconsultum principum, magistratuum qui possunt edictum facere, ius condere et interpretari, ut Institu., De iur. natu., § Ius scriptum. Sed Petro Alberto non apparet quod data fuerit ista autoritas, et ideo ipse refert et non statuit; et certe si ius civile refert praetorium, non facit praetorium esse ius civile, ut Insti., De haer. quali. et diffe., § Sed his permittitur praetor; et statutum municipale vel alicuius universitatis si refert ius commune, non facit quod ius commune dicatur municipale, ut notatur in c. I De consti., lib. VI, et ita dicit Baldus in rubrica De feud. Vel dic quod licet sint in scriptis redactae, debent tamen dici ius consuetudinarium, quoniam scriptura non inducit, sed quod prius erat in scripturam redigitur ut per eam probetur, ut l. Cum res, C. De probat., ita dicunt Cynus in l. I, C. De legi., et Bartolus, Baldus, Angelus et Imola in l. II, in prin., ff. De vulga. et pupilla., facit glossa in l. De quibus, ff. De legibus, licet Raphael in d., l. II contra et non bene. Vel dic quod ad eius observantiam et ut melius possit teneri menti potest redigi in scriptis ad memoriam eius, et nihilominus dicit consuetudo, ut dicimus de usibus feudorum; ita dicit Angelus de Aretio, Institu., De iur. natu., § Ex non scripto, et allegant l. Ideo, ff. De legi., et Cynus in l. II, C. De consue.

Quaero an istae consuetudines debeant glossari. Dicitur quod non, quia consuetudo, quantum habet de actu, tantum habet de potentia et non plus, secundum Baldum in Praelu. feu., § Consuetudo. Secundo, quia consuetudines non recipiunt extensionem ultra id quod agitur (Bartolus in authentica Qui rem, C. De sacrosan. eccl., Ludovicus in l. Vectigalia, ff. De publi., Angelus de Aretio, Insti., De iur. na., § Ex non scripto, et Andraeas de Sicilia in clementina Ne romani, De electio., et Ludovicus in l. I, § Si stipulanti, De ver. ob.). In contrarium facit: nam consuetudo et statuta idem sunt, secundum Ludovicum in l. Post dotem, ff. Solu. matr.; ad paria enim iudicantur, secundum Ludovicum in l. Si is, ff. De usucap. Sed si in statutis cautum esset quod omnis interpretatio omnisque glossa esset remota, attamen ista verba modicum importarent, quia per ipsa verba solum fivola interpretatio videtur remota, ut C. De veter. iur. enu., l. I, § fin., et l. II, § Placet, eo titulo. Ista enim interpretatio bene potest fieri, ut l. I, C. De legi., secundum Bartolum in l. Omnes populi, ff. De iusti. et iur.; sed Baldus in authentica Si qua mulier, C. De sacrosan. eccl., vult quod ideo multum operentur et quod non potest admitti interpretatio vel glossa nisi forte illa per quam verus sensus vel constructio quasi grammaticaliter ad literam vel ut intelligibilis exponatur, ut in c. Exivi de paradiso, § Ceterum et § Qui sub colore, De verb. signi., in clementina I; sed opinionem Bartoli credo veriore existere, quoniam quamvis verba

etiam stricti iuris sint praecisa, attamen recipiunt limitationem et interpretationem habilem, ut est textus notabilis in l. Si ita stipulatus sim, ff. De verbor. obliga., et ibi Bartolus, / Angelus et Imola et Paulus de Castro, vide Baldum in l. II, in II col., C. De execu. rei iudi. Si autem diceretur quod verba debeant ad literam intelligi, intelligeretur ut vulgo exponatur, ut l. Labeo, et ibi Bartolus, ff. De supel. leg.; ita dicit Baldus in d. I, Omnes populi, circa finem. Tu autem circa hanc quaestionem vide Baldum in feud., De feud. cog., ubi sentit quod possint glossari, si sunt generales, et ad glossandas truphas vel fabulas non ponatur ingenium.

Quaero igitur an istae consuetudines sunt locales vel generales. Et dico quod sunt generales, arguendo a prima rubrica earum, ubi dicitur Consuetudines Cathaloniae, nam rubrica est pars textus et sic argui potest ab ea, secundum Ludovicum in consilio XXXII allegat glossam in prooemio Sexti libri, in verbo Titulus, et aliam De poen., dist. I, § Habet autem, et aliam in rubrica ff. Si quis testamento liber esse, et Angelus in authentica Ut nulli cre. agri. et in authentica De incest. nupt. Rubrica enim ipsa generalis est, et quando rubrica est generalis, lex est generalis, secundum Bartolum in l. Plebs, C. De agric. et censi. Potest enim ex ipsa argui declarando textum, ut notat glossa in l. I coniuncta rubrica C. Ne lic. tertio pro.; ita dicit Angelus Aretinus in rubrica Instit.; et ulterius dicta glossa in prooemio VI libri, in dicto verbo Titulus, dicit rubricas esse authenticas. Praeterea aliquae [*corregim de: aliqui*] ex dictis consuetudinibus incipiunt: Consuetudo est Cathaloniae, et sic tam ex rubro quam ex nigro probatur generalitas dictarum consuetudinum. Item, dictae consuetudines in toto principatu Cathaloniae et in omnibus curiis observantur, et sic quod in pluribus curiis observatur pro generali consuetudine observandum est, secundum Baldum, De no. for. fide. Ita etiam dicitur de consuetudinibus feudorum, secundum Baldum, De feud. cogni.

Quaero, et ultimo, an consuetudines istae sunt allegandae et probandae. Et dico quod sic. Ita dicit Cynus in l. II, C. Quae sit lon. consue., et Bartolus in l. De quibus, ff. De legi., et Angelus de Perusia, Insti., De iure natu., § Ex non scripto. Contrarium credo quia, ut dixi superius, istae consuetudines sunt scriptae in voluminibus statutorum, hoc est Constitutionum et usaticorum, et sic praesumendum est quod illas iudex sciverit, secundum Angelum Aretinum, ff. De appell., circa finem prin., et in c. Si expressim, eo titulo; adde quae dixi in Additionibus quas feci de pace et treuga, LXXXII additione. Suntque ipsae consuetudines notoriae ex quo sunt in scriptis redactae, ut superius dixi, et sicut non licet ignorare generales leges, ita nec generales consuetudines, secundum Baldum, De consue. rec. feu. Notoriae enim consuetudines non sunt probandae, secundum Baldum in l. Generaliter, C. De epis. et cler.; et quando consuetudo est notoria, iudex secundum eam iudicare debet et illam allegare, secundum Baldum in l. I, C. Ut quae desunt advoca. iud. suppl., et Andreas de Sicilia in c. Saepe, De app., vide simile in d. I, De quibus, in ver. XIII.

Quaero an sit necesse quod consuetudo probetur. Et dicit Petrus tenere quod non, sed de ea allegata iudex se informabit, quia de iure scripto se informat in camera libros inspiciendo. Quod dictum dicit Angelus Aretinus in d., § Ex non scripto, posse tolerari in consuetudine notoria argumento eius quod notat glossa in l. I, C. Si adver. lib. Et istud credo verum in dictis consuetudinibus Cathaloniae quae sunt notoriae, ut dixi; in aliis vero consuetudinibus non notoriis habet verum dictum Bartoli Angelus, et ita concordantur dictae opiniones. Et his sic dictis descendo ad lecturam harum Commemorationum.

